

**LECTIO BREVIS** Cf. Is 61, 10

Gaudens gaudébo in Dómino et exsultábit ánima mea in Deo meo, quia índuit me vestiméntis salútis et induménto iustítiae circúmdedit me, quasi sponsam ornátam monílibus suis.

**RESPONSORIUM BREVE**

**R.** Elégit eam Dóminus, \* Et praelégit eam. Elégit.

**Y.** In tabernáculo suo habitáre facit eam. \* Et praelégit eam. Glória Patri. Elégit.

**Ad Benedictus, ant.** Benedícta es tu, Virgo María, a Dómino Deo excélso, præ ómnibus muliéribus super terram.

**Oratio**

Intercédát pro nobis, Dómine, gloriósa Virgo María, quæ, Sancti Spíritus decoráta munéribus, tibi plácuít nobísque génuít Unigénitum tuum, speciósus præ filiis hóminum, ut, a fœditáte peccáti abhorréntes, spiritális pulchritúdinis amatóres efficiámur. Per Dóminum.

**Ad Vesperas**

**HYMNUS**

Ave, maris stella,  
Dei mater alma,  
atque semper virgo,  
felix cæli porta.  
Sumens illud «Ave»  
Gabriélis ore,  
funda nos in pace,  
mutans Evæ nomen.

Solve vincla reis,  
profer lumen cæcis,  
mala nostra pelle,  
bona cuncta posce.  
Monstra te esse matrem,  
sumat per te precem  
qui pro nobis natus  
tulit esse tuus.

Virgo singuláris,  
inter omnes mitis,  
nos culpis solútos  
mites fac et castos.

Vitam præsta puram,  
iter para tutum,  
ut vidéntes Iesum  
semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,  
summo Christo decus,  
Spíritui Sancto  
honor, tribus unus. Amen.

**LECTIO BREVIS** Gal 4, 4-5

Ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redímeret, ut adoptiónem filiórurum reciperémus.

**RESPONSORIUM BREVE**

**R.** Ave, María, grátia plena;  
\* Dóminus tecum. Ave.

**Y.** Benedícta tu in muliéribus  
et benedíctus fructus ventris tui.  
\* Dóminus tecum. Glória Patri.  
Ave.

**Ad Magnificat, ant.** Cor meum  
et caro mea exsultavérunt in  
Deum vivum.

Die 14 februarii

**BEATÆ MARIE VIRGINIS,  
MATRIS  
PULCHRÆ DILECTIONIS**

**Festum**

**De Communi Beatæ Mariæ Virginis, præter sequentia:**

**Ad Invitorium**

**Ant.** Festivitatem Beátæ Mariæ Virginis celebrántes, iubilémus Dómino.

**Ad Officium lectionis**

**HYMNUS**

O virgo mater, filia  
tui beáta Fílii,  
sublímis et humíllima  
præ creatúris ómnibus,

Divíni tu consílii  
fixus ab ævo términus,  
tu decus et fastígium  
natúræ nostræ máximum:

Quam sic prompsísti nóbilem,  
ut summus eius cónditor  
in ipsa per te fíeret  
arte miránda cónditus.

In útero virgíneo  
amor revíxit ígneus,  
cuius calóre gérmant  
flores in terra cælici.

Patri sit et Paráclito  
tuóque Nato glória,  
qui veste te mirábili  
circumdedérunt grátiae. Amen.

**LECTIO PRIOR**

De Epístola  
beáti Pauli apóstoli  
ad Gálatas 3, 22 — 4, 7

*Per fidem filii sumus  
et heredes Dei*

Fratres: <sup>3,22</sup> Conclúsit Scriptúra ómnia sub peccáto, ut promíssio ex fide Iesu Christi daretur credéntibus.

<sup>23</sup> Prius autem quam veníret fides, sub lege custodiebámur conclúsi in eam fidem, quæ revelánda erat. <sup>24</sup> Itaque lex pædagógus noster fuit in Christum, ut ex fide iustificémur; <sup>25</sup> at ubi venit fides, iam non sumus sub pædagógo. <sup>26</sup> Omnes enim filii Dei estis per fidem in Christo Iesu. <sup>27</sup> Quicúmque enim in Christum baptizáti estis, Christum induístis: <sup>28</sup> non est Iudæus neque Græcus, non est servus neque liber, non est másculus et fémina; omnes enim vos unus estis in Christo Iesu. <sup>29</sup> Si autem vos Christi, ergo Abrahæ semen estis, secúndum promissionem heredes.

<sup>4,1</sup> Dico autem: Quanto témpore heres párvulus est, nihil differt a servo, cum sit dóminus ómnium, <sup>2</sup> sed sub tutóribus est et actóribus usque ad præfínítum tempus a patre. <sup>3</sup> Ita et nos, cum essémus párvuli, sub eleméntis mundi erámus serviéntes; <sup>4</sup> at ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, factum ex muliere, fac-

tum sub lege, <sup>5</sup> ut eos, qui sub lege erant, redímeret, ut adptionem filiorum reciperemus. <sup>6</sup> Quoniam autem estis filii, misit Deus Spíritum Fílii sui in corda nostra clamántem: «Abba, Pater!». <sup>7</sup> Itaque iam non es servus sed filius; quod si filius, et heres per Deum.

### RESPONSORIUM

Cf. Gal 4, 4-5; Eph 2, 4; Rom 8, 3

**R.** Ecce iam venit plenitúdo témporis, in quo misit Deus Fílium suum in terras, natum de Vírgine, factum sub lege; \* Ut eos, qui sub lege erant, redímeret.

**Y.** Propter níam caritátem suam, qua diléxit nos Deus, Fílium suum misit in similitúdinem carnis peccáti. \* Ut eos.

### LECTIO ALTERA

Ex Homíliis sancti Iosephmaríe Escrivá de Balaguer presbýteri

(*Amigos de Dios, Homilia Madre de Dios, Madre nuestra*, ed. Palabra, Matriti, 1977, nn. 277-278)

#### *Mater pulchræ dilectionis*

*Ego quasi vitis germinávi grátiam, et flores mei fructus honóris et honestátis.* In prima lectione Missæ huius diéi verba hæc audívimus. Abúndet hæc suávitás odóris in animábus nostris et in animábus ómnium christianórum, nosque impéllat ad pleníssime confi-

déndum Vírgini Maríe, quæ semper nobis ássidet.

*Ego mater pulchræ dilectionis et timóris et agnitiónis et sanctæ spei.* Hæ sunt lectiones quas Beatíssima Virgo María in memóriam nostram hódie redúcit. Lectiones quidem ad vitam puram, ad cor sensibile et ardens nos ducéntes, ut fídes esse discámus in Ecclésiæ servítio. Non est hic quidem amor quílibet: est enim Amor, in quo non adest prodítio, neque conquisítio utilitátis sui, neque neglegéntia ulla. Pulcher sane amor, quia habet ut princípium et finem Deum ter sanctum, qui est omnis pulchritúdo, omnis bónitas, omnis maiéstas.

At vero méntio fit quoque timóris. Nullum álium timórem intellégere queo præter timórem discedéndi ab Amóre, quia Deus nos non vult pusillánimes, pavéntes, in nostra deditióne lánguidos. Contra Dóminus nos vult audáces, álacri ánimo præditos, iucúndos. Timor de quo sacer textus nos ádmonet in mentes nostras révocat lamentatióne illam Sacræ Scriptúræ: *quæsívi, quem diligit ánima mea; quæsívi eum et non invéni.*

Hoc contíngere potest si homo non pénitus intelléxerit quid sit amáre Deum et sinat ut cor suum trahátur rebus quæ ad Dóminum nostrum

non ducunt, ipsum ita e conspéctu amíttens. Quandóque vero Deus se abdit: ipse scit cur. Tunc autem nos impéllit ut eum ardéntius quærámus et, cum ipsum tandem invenímus, gaudéntes clamámus: *invéni, quem diligit ánima mea; ténuí eum nec dimíttam.*

Evangélium Missæ hodiérnæ momentum illud enárrat ánimum movens, quando nempe Iesus remánet in Ierúsalem docens in templo. María et Ioseph *venérunt iter diéi et requirébant eum inter cognátos et notos et non inveniéntes regréssi sunt in Ierúsalem requiréntes eum.* Dei Mater, quæ fílium suum sine culpa amísum ánxie quæsívit, quæque máximum gáudium expérta est cum eum invénit, nos docébit ut viam nostram repetámus, ut corrigámus quidquid opus sit quóties Christum vidére non valeámus propter nostram levitátem vel nostra peccáta. Perveniémus ita ad gáudium íterum Iesum amplecténdi eíque dicéndi numquam nos eum esse amíssúros.

María Mater est sciéntiæ, quia apud ipsam díscitur léctio quæ plúrimum ínterest: scílicet nihil óperæ prétium esse, si prope Dóminum non inveniámur, nihilque valére ómnia huius mundi mirabília et ambições cunctas implétas, si in pectóribus nostris flamma non

árdeat amóris vivi et sanctæ spei, quæ est pignus amóris sempitérni in Pátria nostra defínitíva.

**RESPONSORIUM** Cf. Lc 1, 42

**R.** Sancta et immaculáta virgíntas, quibus te láudibus éfferam, néscio: \* Quia quem cæli cápere non póterant, tuo grémio contulísti.

**Y.** Benedícta tu in muliéribus et benedíctus fructus ventris tui. \* Quia quem.

**HYMNUS** Te Deum.

### Ad Laudes matutinas

#### HYMNUS

Quæ caritátis fúlgidum es astrum, Virgo, súperis, spei nobis mortálibus fons vivax es et prófluus.

Sic vales, celsa Dómina, in Nati cor piíssimi, ut qui fidénter póstulat, per te secúrus ímpetret.

Opem tua benígntas non solum fert poscéntibus, sed et libénter sæpius precántum vota prævenit.

In te misericórdia, in te magnificéntia; tu bonitátis cúmulas quicquid creáta póssident.

Patri sit et Paráclito tuóque Nato glória, qui veste te mirábili circumdedérunt grátiae. Amen.